ecclesiam Tholosanam erexit in archiepiscopalem sedem
primumque archiepiscopum instituit in eadem dominum Iohannem
de Comminis quem transtulit de Magalonensi sede
in novam metropolim Tholosanam. Episcopus vero Tholosanus
sine episcopatu remansit. Cui postmodum de
Regensi episcopatu idem dominus papa providit quem noluit
acceptare. Diocesim vero Tholosanam que in redditibus
temporalibus plurimum habundabat in sex episcopatus
divisit quorum episcopi essent suffraganei Tholosani.
Sex quoque villas in novas civitates erexit videlicet
villam Montis Albani, villam de Rivis, villam et
abbatiam de Lomberiis, villam de Sancto Papulo,
villam de Vauro, villam de Mirapisce. Episcopos
ut speciales sedes constituens in singulis earundem.
Fuerunt quoque consequenter iussu et ordinatione summi
pontificis dioceses [illegible] [illegible] limitate. Item
in archiepiscopatu Narbonensi duos episcopatus fecit
et ordinavit quorum primum et principalem posuit in Limoso et
episcopum instituit in eodem. Sed paulo post sedem
inde transtulit ad abbatiam de Electo. Secundum vero
episcopatum instituit in [illegible] et sede eius
posuit in abbatia Sancti Poncii. Fueruntque
limitate dioceses consequenter. Item episcopatum
Albiensem divisit in duos, episcopalem sedem instituens
in abbatia monachorum nigrorum Castrensi. Villam
Castrensem in novam erexit civitatem episcopalem
posuit. Item episcopatum Agennensem divisit.